

ita praecedenti adnectitur, Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; ut haec obedientia vel conditio fuerit, vel causa illius decoris, Regisque erga ipsam amoris: & hic decor extiterit originariae obedientiae index. Atque ita explicant Chrysostomus, & S. Basilus, ut concupiscat Rex decorem tuum. Coniunctio enim &, interdum valet idem quod ut, Genes. 20. 7. Orabit pro te, & vives, id est, ut vivas. Vide Salmeronem nostrum Proleg. 16. Regula 35. Igitur, ait Pfaltes, obedientissimam te, o filia, Regi praestabis Sponsio; inde fiet, ut pulcherrima evadas, quod meritissimum sit obedientiae praemium: & tua haec pulchritudo erit omnino originariae illius obedientiae index. Neque id solum tua haec eximia pulchritudine summi Regis amorem ardentissimum tibi conciliabis: Amor enim nihil aliud est, quam desiderium pulchritudinis, ut ait Plato in Phaedro. Et quod maxime pulchrum est, id quoque maxime amabile; eodem auctore lib. 3. de Republica. Pulcherrimam ergo amabit Rex cupidissime, quia obedientem.

Amor est desiderium pulchritudinis. Plato.

783 Quia ipse est Dominus Deus tuus. Videlicet dignissimus, quem tu audias, quem praecceptorum attendas, cui iubenti aurem admoveas, cui formam gratam esse optassis, quem religioso etiam cultu venereris, tuoque exemplo adoret orbis universus. Et adorabunt eum. Multi ex Patribus vertunt; adora eum, vel adorabis eum. Quasi dicat: Felix, quae & Sponsum sis obsequentissimè observatura, & Dominum cultura religiosissimè. Felix iterum, quae & observantiae, & religionis exemplo Imperium Sponsi latissime sis amplificatura. Cum te adorantem conspexerint, in genua provolutae omnes & Regem, & Dominum Deum Nationes adorabunt.

Praejacta interpretationi splendor conciliatur ex Patribus, pro Mariano originalis obedientiae decore. Leo Imp.

784 Huic jam tam concinnae ac genuinae interpretationi splendorem conciliemus, ex Patribus. In primis ex Leone Imperatore in Hom. de Annunt. qui hisce verbis Virginem affatur, quibus haud obscure originariae obedientiae decorem ejusdem Virginis adscribit, citato hoc ipso Versu Davidico. Num, o immaculata Sponsa (Graece ἀμωμη νύμφη, id est, Nympha labis omnis, atque peccati expert) permittes, ut ad pertexenda praeconia tua, advocemus ea, quae Pater velut nuptiarum tuarum archabonem, per Spiritum S. interpretes, & internum donavit? Deinde cum alias de inculcata hac Nympha Prophetias retexuisset, addit: Cui enim adhuc in lumbis Paternis cominereris, Progenitor tuus clamabat: Audi filia, & vide, &c. Audisti verè, o familia, commotionem, & oblita es populi tui, & hereditatis. Graece κληρα, & domus paterna; hereditatis videlicet illius, quam Eva progenitrix toti generi distribuit, immenso illo cumulo perturbationum à ratione descendentium, commotionum adversus rationis leges conspirantium, animi perduellium affectionum, nec non etiam dolorum omnium atque morborum congerie hereditaria relicta (sic interpretor illa Leonis τὸν μύριον ἢ πᾶσαν φασγὸν κληροδοῦσα.) Attamen nihil tu horum in domum tuam inulisti. Propter hoc Rex dilexit te, propter animam tuam pulchritudinem. Obedientiam B. Virginis describit, & quidem originariam, primae inobedientiae expertem, ac proinde poenarum inde provenientium immunem. Hanc unam causam ad extremum agnoscit Sapiens

Leo, ob quam pulcherrima evaserit, Regioque amore dignissima inculpatissima Nympha. Propter hoc dilexit te Rex, propter animam tuam pulchritudinem; qua scilicet Paternae inobedientiae renuntiasti, & quae est tantae obedientiae originariae index.

785 Succedat Chrysiptus in Serm. de laud. Mariae, eo ipso recitato Davidis Versu, Audi filia, &c. quem sic exponit: Populus enim, à quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi asserit. Populus imprudens tibi, irreprehensae naturae propagini, familiaritate junctus est, & cultura spinarum ferax rosam tuam producit. Obliviscere autem unam cum populo, etiam domum Paternam. Et audi quanto te amore prosequetur is, qui Conditor omnium est, & potestatem habet. Concupiscet enim Rex decorem tuum. B. Virginem naturam, hoc est, origine irreprehensam vocat Chrysiptus (juxta illud Pauli ad Ephes. 2. Ephes. 2. 3. vers. 3. Examus naturam filii irae, id est, origine digni irae, ob peccatum originale, interprete Augustino lib. 1. Retract. cap. 15.) populum autem reliquum, hoc est, universum Adamii genus, nequam dicit, Mariaeque ignominiosum propter solam cognationem. Quae quidem antichristi Mariae, & Adamitarum, horum originariae inobedientiae originariam Mariae obedientiam opponit, qua eousque evasit decora, ut Regem sibi amanissimum Sponsum devinxerit. Quid pro Davidico Vaticinio luculentius? Verè Regius Vates originariam Deiparae pulchritudinem commendat originariae obedientiae congenitam: verè à Primogenita pronepte sua omnem abfuisse originariam deformitatem antumat.

Chrysipt.

Ephes. 2. 3.

786 Subtecto alia Sanctorum Patrum effata, qui eximiam Deiparae formam, ejusdem immunitati addicunt. Sanctus Gregorius Nicomedienensis Episcopus in Orat. de Mariae Praesentatione sic exclamat: O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! o Deigenitrix pulchrorum omnium summum ornamentum! Tu prima imaginis obscuratam speciem restituiti in suam pulchritudinem. Pulchrè Georgius primae imaginis pulchritudinem per primam inobedientiae culpam jam olim obscuratam asserit à sancta Virgine, utpote pulcherrima, magno fuisse cum fenore restitutam. Non enim sicut in Adamo, & Eva, evanuit unquam in Deipara supernaturalis pulchritudo, nec naturalis turpiter aliquando oblitterata est. Semper pulchra perstitit, & pulchrorum omnium summum ornamentum.

S. Gregor. Nicom.

787 Expedit etiam S. Joannis Damasceni apertissimam sententiam, quae extat in Orat. 1. de B. Mariae Nativit. ubi eam sic affatur: O Deo digna filia, humanae naturae venustas, o Deo digna filia, humanae naturae venustas, o sanctissima filia, mulierum ornamentum! Quamvis enim prima Eva à Dei mandato recesserit, ac per eam serpenti obsequentem mors in primum Parentem ingressa sit, sed tamen Maria divinae voluntati obsecuta, deceptorem decepit serpente, ac mundo immortalitatem irrevexit. Mariam humanae naturae venustatem, ac pulchritudinem dicit Damascenus; addit primigenae Evae correctionem esse, quasi unum ad alterum pertineat; Eva enim etsi venustissima, sed non ad summam devenit venustatem humanae naturae: quod ergo Evae venustatis defuit, implevit Maria; quae amissam per pecca-

S. Damasc.

peccatum inobedientiae pulchritudinem correxit, redintegravit per originariae obedientiae virtutem. Hoc porro nihil aliud est, quam totam Virginis venustatem originali ejus obedientiae addidisse.

Cur potius cecinerit Virgo, respexisse Deum suam humilitatem, quam suam pulchritudinem?

788 Quare Joannes Gerson Parisiensis ille doctissimus Cancellarius toto Tractatu 3. super Magnificat: quaerit, cur B. Virgo in hoc suo Cantico non dixerit, Deum respexisse pulchritudinem ancillae suae, sed humilitatem; cum respectus ille ex amore fuerit; amor autem pulchritudinem potius, quam humilitatem respexisse fuisset dicendus? Huic ut quaestioni respondeat, observat, duplicem esse Angelorum functionem; alteram, qua & superiorem, & inferiorem orbem moderantur; alteram, qua per amantissimam obedientiam Deum reverentur. Porro ex duabus hisce Angelorum functionibus, illam asserit Gerson pulchriores Angelos reddere, quae obediens Deo, atque subiectos efficit; quam illam, quae Orbis moderatores ostendit. Hoc posito, utramque functionem in Deipara Angelorum Regina, ita commendat Gerson, ut sicut Angelis majorem conciliat perfectionem, ac pulchritudinem obedientiam erga Deum, quam orbis totius moderatio; ita in Maria contigerit, quam perfectissimam, & pulcherrimam praestitit humillima potius originalis obedientia, quam cellissimum universitatis imperium. Sic ergo concludit Gerson: Unde palam intelligo, B. Mariam nedum pia devotione, sed altissima, metaphysicalique ratione suam pulchritudinis beatifica perfectionem plus insinuasse per humilitatem subiectionis, quam respexit in ea Dominus, quam si Dominationis nomen aliquid posuisset. Acute dicit; plus Deiparam suamque pulchritudinem commendasse, dum dixit respexisse Deum ipsius humilitatem; quia licet divini hujus respectus amantissimi proprium objectum fuerit Mariae pulchritudo, cum haec tamen ab illa humili obedientia proveniret; maluit B. Virgo ancillam se obedientem, quam pulchram dilectam dici; tum ut suo ipsius exemplo veram pulchritudinis per humilem obedientiam conciliandae documentum ferret, tum etiam ut totam omnino hanc gloriam uni Deo deferret, qui tantus sit, ut sibi obedientiae omnigenam corporis, & animae pulchritudine divino amore digna condecoraret. Certè obedientia haec humilis, cui tantus decor adfociauit, originaria est, quae maxime in Deipara resplenduit vel à sui conceptu momento. Unde numero 736. illud Cantic. 6. vers. 3. Pulchra es amica mea sicut bona opinio.

Obedientia pulchriores Angelos redduntur.

Sic etiam Deipara humillima obedientia.

Gerson.

§. XIII.

Noviter expenditur ex Cantico Canticorum testimonium pro originaria Mariae pulchritudine.

789 Sponsi verba apud Salomonem Cantico. 4. vers. 7. haec sunt: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quae tametsi à nonnullis fuerint versata pro immaculato Virginis Conceptu, noviter tamen à me versanda & illustranda spero, ut legenti clarebit. Igitur hunc Salomonium Versum de privilegio Marianae immunitatis, & originaria pulchritudine tum corporis, tum animae, graves intellexerunt Doctores. S. Ful-

De Mariae immunitate nulli expli. cat.

bertus in Salut. B. Mariae, S. Idiota lib. de contempl. Deiparae cap. 2. Hugo Victorinus Serm. 9. Institut. Monast. cui titulus, In festivitate Conceptionis B. Mariae, & in Serm. de Assumptione, Alexand. Alensis lib. 3. de B. Virgine cap. ultimo, S. Bonavent. Serm. de B. temper. Virg. Maria, S. Bernardus Tom. 1. Serm. 52. qui est 1. de Salut. Angelica art. 1. cap. 1. S. Laurent. Patriarcha Serm. 1. in Nativit. B. Virginis Mariae, S. Amadeus Monachus ex Gabrielis Archangeli testimonio, in Raptu 4. & ex S. Andreae Apostolici sententia in Raptu 8. & ex recentioribus innumeris.

790 Idiota verba sunt: Tota pulchra es, & plusquam gloriosa Virgo Maria: pulchra es in tua Conceptione, ad hoc solum effecta, ut Templum esses Dei Altissimi. Tota pulchra es non in parte, sed in toto; & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit. Tantum Idiota doctissimus, tamque expressè. Alexandri voces tum eo libro descripat, tum extremæ, quibus felicem animam egit, haec sunt: Tota pulchra es, & macula originalis, aut actualis in te nunquam fuit. Sic autem S. Bernardus: Fuit B. Virgo sine primo ve, hoc est, sine tyranno concupiscentiae peccati originalis, quia sine eo concepta est: sicut teste Salomone Cant. 4. didicimus, qui ait: Tota pulchra es amica mea, & macula, scilicet originalis culpe, non est in te. S. Laurentius ita pulchrè: Ipsam idem Spiritus custodivit à carnis colluvione immunem, atque ab universorum criminum contagione immaculatam. Tota pulchra, absque delicto, sine mentis, & corporis deformitate, Deo & hominibus amabilis habebatur. Audiendus S. Bonaventura sic dilucidè, premissis illa Canticorum verba praescripta: Non solum ait, perpulchra es, in quo notatur, eam omnem pulchritudinem habuisse hominis; sed addit; & macula non est in te; in quo notatur, eam nullam maculam admisisse; ut sic fuerit summè pulchra per omnis boni praesentiam; & fuerit absque macula per omnis mali, & culpa absentiam. Agmen claudat S. Amadeus eo Raptu 4. Venerabilis, & venustus fuit valde corpus Virginis genitricis, quam Eva omnium viventium matris. Deus voluit, ut corpus matris gratiae fieret, & formaretur perfectum, & perfectius, quam corpus Evae, & ipsius Adae, & aequalis perfectionis esset cum corpore Christi, ubi non repugnat concedentia sexus. Tota ergo corpore pulchra fuit, & sine macula. Tunc (formato scilicet pulcherrimo Virginis corpiculo) Deus noster magnus, & potens creavit animam perfectam, habentem omnia dona, omnem scientiam, &c. Omnes virtutes appetitive, sicut & intellectiva sibi inerant; nihil boni sibi deficiebat, sana erat mens, & perfecta in corpore perfecto, & sano. Tota ergo pulchra, & tota formosa erat, tota immaculata, & tota perfecta, omnibus divitiis affluens; nullus in ea peccati originalis nodus, nullus culpe venialis cortex fuit. Similia habet Raptu 8. Sed haec fati pro gravissimorum Doctorum interpretatione. Plures alios infra donabo, qui immunitatem Deiparae commendant cum intuitu certo ad illa Cantic. verba, quae jam signatim, & singulatim premo, & illustro.

Idiota.

S. Bernardi.

S. Laurent.

S. Bonav.

S. Amade.

791 Tota pulchra es amica mea. Cum pulchra ad nubilem aetatem pervenire, tum maxime

Verba singul. latim pra. ximè

muntur, & illustrantur.

Ezech. 16. 8.

Pulchritudo dicitur non est contrahenda ad certum aetatis tempus.

Omnes aetatis differentias.

Quo pacto Deus pulcher dicatur. S. Dionys. Arcop.

ximè specie vigere, tum formâ præfere solent: itaque id ætatis, à pulchritudine commendari occipiunt. Ezech. 16. vers. 8. *Et transivi te, & vidi te; & ecce tempus tuum tempus amantium.* Videndum igitur, an Deipara certum formæ tempus expectarit, ante quod non esset tempus amantium, ante quod neque specie nubilus, neque ætate Deo Sponsus esset matura. Divus quidem Thomas 3. p. quæst. 27. art. 4. Deiparam nullum unquam peccatum actuale commississe, præter alia, inde probat; quia de ea scriptum est Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea.* Ex qua expositione conficitur, illud, *tota pulchra es*, non esse ad certum ætatis Mariæ tempus contrahendū, sed totum potius complecti vitæ Mariæ spatium, ut in infantili etiam ætate amica & sponsa dici, & propter eximiam pulchritudinem, ab omni actualis maculæ turpitudine logè alienissima, à divino Sponso expectari potuerit. Nimirum eum sensum voces sacræ exigebant, *tota pulchra es*, in quibus illud *tota*, non partes modo universas, sed omnes etiã ambit ætatis differentias, in quibus omnibus actuali sæper pulchritudine prælitterit, expositorum S. Thomæ.

792 Ex hac igitur tanti Doctoris expositione, Deiparæ immunitatem à peccati etiam originalis foeditate sic licet efficaciter declarare. Hæc prophetia, *tota pulchra es*, nullum excipit tempus, in quo aliquam actualis peccati labem Deipara habuerit. Igitur nullum excipit tempus, in quo labem originis admiserit. Explico tum locum ipsum, tum vim argumenti. Vox illa *tota*, verbumque *es*, æqualis significationis vi communia sunt tam omnibus Mariæ vitæ temporibus, quam universis ejusdem Mariæ vitæ paribus, ex quibus plena, & integra absolvitur ejus pulchritudo; ita ut quoad actualia peccata excludenda tam verbum *es*, quam nomen *tota*, omnia etiam tempora, omnesque partes pulchritudinis complectantur, ut semper, ac *tota pulchra* verè pronuncietur. Eadè ratione dicendum est, tam verbum *es*, quam nomen *tota*, omnia etiam tempora, omnesque partes pulchritudinis partes ambire, quibus peccati originalis foeditas excludatur; ut sic semper ac *tota pulchra* fuisse, verè ac plenè asseratur. Voluntarium enim est sic sacras voces coercere, ut cum integræ pulchritudini, omnibusque temporibus communes sint, pro libito tamen ad certum pulchritudinis genus contrahantur; nempe actualem, cum re verè absoluta & plena pulchritudo, eaque perpetua significata, non minus ex originali, quam ex actuali partium omnium consensu coalescat. Confirmant efficacem argumentationem illustra SS. Patrum testimonia supra enumerata, & infra enumeranda, præsertim Idiotæ, Bernardini, & Justiniani. Adde ex S. Dionys. Areopag. in lib. de Divin. Nom. c. 4. ubi explicans quo pacto Deus pulcher dicatur, sic scribit: *Pulchrum appellatur ex eo quod omni ex parte pulchrum sit, & plusquam pulchrum; sitque pulchrum quod eodem modo semper se habet, ita ut nec oriatur, nec intereat, nec augeatur, nec minuat; nec partim pulchrum, partim turpe sit; neque hoc tempore pulchrum sit, illo verò non item.* Libuit hæc adscribere, ut ex hac Dionysii Theologia & similitudinè, & differentiam inter divini sponsi, & humanæ Sponsæ pulchritudinem lector addiscat. Licet enim perpetuam in Deipara fateri cogatur pulchritudinem, sed talem, ut incipere, augerique contingerit.

793 In exemplari Hebraico non legitur verbum *es*, neque *est*, sed per elliptim sic supprimitur: *Tota tu pulchra, amica mea, & macula non in te.* Unde Translatio Hispanica Vetus Ferrariensis ita verit: *Toda tu hermosa, mi companera, y macula no en ti.* Quæ certè oratio emphasi plenior, ac sensu fecundior evadit: subicit enim Sponsus verbum majori tum consilio, tum amoris affectu, ne aut ab una alterave parte Sponsæ formam commendasse videretur; aut certè si præsentem tantum pulchritudinem expressisset, eandem aut negasse, aut neglexisse putaretur. Est autem hujusmodi Verbi elliptis sacræ Scripturæ familiaris, ut rerum duratio non temporaria, sed perpetua esse significetur, Psal. 118. vers. 68. *Bonus es tu.* Hebraicè, *bonus tu.* cum Ellipsis verbi omnia tempora, omnemque durationem continent: quasi dicat: *Bonus tu, nempe es, fuiti, & eris* Eccles. 12. 13. *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* Hebraicè; *hoc enim omnis homo.* Quasi dicat. Multiplici ænigmatè naturam hominis materialem, caducam, a que ad interitum suapte ipse vergentem, apprimè significavimus. Lucæ 1. 28. *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu.* Duplicem continent verba hæc elliptim verbi, qua significatur & Dominus semper cum Maria fuisse, esse, atque futurus esse; & ipsa benedicta semper futura, temper fuisse, & temper esse. Quæ omnes temporum differentias tacito per elliptim verbo acutus, atque efficacius significantur, quam si illud per tria tempora inflexum minutè congemineretur.

794 Quod autem tam Vulgatus, quam LXX. verbum est supplevere: *Tota pulchra es, & macula non est in te;* tum sacrum originale verbum illustrarunt, tum aliã haud minorè emphasi sensum etiam promoverunt. Verbum enim est interdum absolvitur à tempore, ut loquantur Dialectici, tantumque importat perpetuam extremorum, quæ necit, connexionem, sive ea connexio essentialis, sive naturalis, sive aliunde necessaria sit. Atque ad hunc sensum dixisse Aristotelem lib. 1. Periherm. c. 3. *Verbum esse, quod significat tempus, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota,* explicat nosse Rubius qu. 1. nu. 40. Neque enim vuli Philosophus, verbum actu ipso consignificare tempus, sed pro ratione extremorum, quorum nexus existit. Nisi fortè verior sit Conimbricensium interpretatio qu. 1. art. 4. secundum quos *verbum significare tempus* dicitur à Philosopho, id est, aliquam durationem, sive æternam, sive finitam. Itaque in his locis, in quibus verbum est per emphaticam elliptim subicitur, non minori emphasi in Latinis exprimitur à Vulgato: sicut enim ibi suppressum omnes temporis præteriti, præsentis, & futuri differentias innuit; ita hic expressam aut à temporis notatione absolvitur, aut certè perpetuam durationem importat omnia tempora ambientem. Itaque sicut in Davidico illo Versu, *bonus es tu,* atque in eo Salomonico, *hoc est omnis homo, verbum est,* æternam, ac necessariam veritatem exprimit: æternum quippe est, ac necessarium & Deum esse bonum, & hominem esse mortalis naturæ; similis ratione in hac Mariæ immunitatis commendatione, *Tota pulchra es, & macula non est in te;* verbum *es, & est,* æternam veritatem exprimit; æternum quippe

Verbi elliptis omnia tempora, omnemque durationem continent.

Psa. 118. 68.

Eccles. 12. 13.

Luc. 1. 28.

Verbum est, interdum absolvitur à tempore.

Aristot.

Idiota.

pe

Idiota.

In quo pulchritudo consistat, quis totus formosus dicatur.

Homer.

Catul.

Extrema pulchritudinis dos, gratia quadam est vivax, & spiritualis.

pe est re vera Deiparam per divinam gratiam, totam ita esse pulchram, ut nullâ unquam peccati maculâ eximia tantæ sponsæ pulchritudo fuerit deturpata. Atque eam quidem virtutem verbo *est*, in hoc loco inesse sapiens intellexit Idiota, dum sic explicabat: *Et macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, neque unquam fuit, neque erit.* Hæc tam de Hebraicè emphaticè verbum est supprime, quam de Vulgato non minori emphasi illud exprimentem.

795 *Tota pulchra.* Etsi omnes formæ partes pulchræ, aptæ, & concinnæ essent, non continuè sequebatur, totam pulchram evasuram. Laudaverat singulas Sponsæ Sponsus partes, capillum, oculos, os, labia, genas; addit, totam pulchram esse. Rectè; nam præter illam omnium partium commensurationem (in qua pulchritudinem consistere, multi docent, S. August. lib. 22. de Civit. cap. 19. S. Thomas 2. 2. qu. 145. art. 2. & alii) nescio quid aliud à sapientibus requiritur, sine quo pulchritudinem absolutam existere denegant. Id verò appellant, alii *venustatem*, alii *salem*, alii *gratiam*, alii nescio quam animorum illecebram, alii aliis nominibus explicant. Homerus Iliad. 14. has pulchritudinis illecebras cingulo Veneris adseribit.

*Ibi sunt amores, ibi cupidines, ibi illecebræ; Ibi blandæ suadellæ, ibi omnia amatoria Lenocinia, ac venesicæ.*

Hinc fit, inquit, ut corpora quædam omni ex parte absoluta, si priorem illam ex solo corporis habitu peccatam speciem adspicias; venustatis tamen expertia omnino censentur: contra verò alia coloris, aut staturæ aliquo etiam defectu præditâ, maximè tamen decora, atque venusta judicentur, & facillimè intuitum animos abripiant, & accendant. Ex hac Philosophia Catullus Epigram. 16. fœminam, etsi candidam, rectam, justaque proceram statura fateatur, sed totam formosam diffiteretur, cui nimirum hæc spiritualis deesset pulchritudo.

*Quinta formosa est multis; mihi candida, longa, Recta est; hæc ego sic singula confiteor. Totum, illud, formosa, nego; nam nulla venustas, Nulla in tam magno est corpore mica salis. Lesbica formosa est, quæ cum pulcherrima tota est, Tum omnibus una omnes subripuit Veneres.*

Igitur hanc ultimam pulchritudinis manum, extremam hanc dotem Platonici Philosophi gratiam quamdam vivacem, & spiritualem designiunt, quæ delectando rapit, rapiendo ardentè inflammat honore. De qua multa philosophicè disserit Marsilius Orat. 5. in Symposium Platonis, Cyprianus Monachus Cisterciensis ad cap. 5. Cant. Cant. v. 1. Hanc gratiam in pulchris corporibus instat salis esse ait, qui cibos condit, saporemque impertit gratissimum. Addit, illam ab anima emanare, quæ utpote lucidissima, hunc splendoris sui radium in corpus effundit. An id etiam voluit S. Thomas 2. 2. qu. 145. art. 2. qui decorem conslare dicebat ex debita partium proportionem quamquam claritate. Cyprianum sequitur nosse Del Rio Tom. 2. Adagio. in 341. addens hanc animorum illecebram spiritualem esse, quod & Platonici putant; quibus suffragatur Tiraquellus in 2. l. Connub. num. 45. P. Ildelph. de Flores in Ecclesi.

796 Ad rem ergo Marianam. Noverat Sponsus Sponsam subfuscam esse, ac tamen pulchram dicit, omni nævo, omni labe carentem: commendaverat singulas partes, addit nunc postremum illud, etiam pulchram esse: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quasi dicat; Non solum singulæ quidem formæ partes, quas singillatim descripsi, exactissimè commensurate, tam particulatim, quam conjunctim, mirificè consentiunt, & concinunt, capilli, oculi, genæ, labia, ubera; sed quod rarum est, totum illud, formosam dico, & pulchram; nimirum nescio quo sale, quâ gratiâ, quâ venustate, quâ amoris illecebrâ, tota insperata, tota condita, ut lapidissima, ut graulissima, ut venustissima, ut tota pulcherrima animus abripias. Adde ego; sicut hæc pulchritudinis gratia non est in formosis omnibus, sed alia aliis pulcherrimis formis inesse solet; ita in B. Virgine totum id ex venustate, & majestare quadam fuisse commixtum, quo ad amorem simul, & observantiam inveniuntur oculos, animosque pelliceret, de quo multa multi; interim vide S. Bonavent. Tom. 3. Serm. 1. de B. semperque Virg. Maria, & S. Dionys. Epist. ad Paulum, Rechel. lib. de laud. Virg. Mariæ art. 36. Huic igitur corporis gratiæ, quæ totam complet pulchritudinem, ipsa illa gratia in anima responderet, quæ sublimem ipsius pulchritudinem omnibus suis numeris absolvit ac perficit. Cum ergo Mariam celestem Sponsam totam pulchram appellat divinus Sponsus, dum totam semper extitisse formosam confiteretur, hanc ipsi gratiam semper inuisse testatur, quæ Sponsi oculos, animumque ardentissimo amore pellexit.

797 *Amica mea.* Ex eadem illa absolutæ formæ integritate, quam illud *tota* significat, & ex eadem durationis perpetuitate, quam innuit verbum *est*, aut suppressum, aut expressum, pendeant voces illæ, *amica mea.* Nam quæ tota, semperque pulchra fuit, nunquam non amica extitisse potuit. Celebre namque est apud Platonem in Lyside Proverbium; Plato. *Quod pulchrum est, amicum est.* Quod etiam Theogeni agnoverat Theogenes in Sententiis: *Pulchrum amicum est; non pulchrum, non amicum est.* Et Maximus Tyrius Platonici Philosophus Serm. 11. *Quod amabile sit, pulchrum esse oportet.* Igitur Maria, quæ semper pulchra, semper etiam extitit Deo amica. Perpicuè, atque eleganter id explicuit Rupertus ex antithesi Evæ, quam cum & deformem, & Deo inimicam dixisset; sic Sponsum ipsum inducit Mariam effantem: *Tu contra Deum non tumuisti, imò mente humili Altissimo complacuisti. & ecce amica es. Tu serpenti aurem non præbuisi, imò & inimicitias inter te, & serpentem ego posuisti; & ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, imò Spiritus S. obumbravit tibi; & ecce formosa es.* Sapienter & peccatum originale, & effectus inde ortos in Maria denegat doctus Abbas; atque proinde illam & Deo semper amicam, & semper pulcherrimam agnoscit. Hanc eandem perpetuam amicitiam S. Thomas Apostolus postolus asseruit, apud S. Amadeum in suæ Apocalypsis Raptu 8. *O Maria, quam felix es, & fortunata, quæ ab initio, & ante secula, & initio viarum Dei ab ipso electa fuisti! & Adæ peccato præviso, non fuisti cum aliis omnibus condemnata; sed voluit, ut merita Filii tui tibi super omnes prodessent; teque pro minimo momento noluit*

Tota Deipara gratiâ, sale, venustate, amoris illecebrâ insperata, condita.

Mariæ pulchritudinis corporali responso spiritualis pulchritudo.

Deipara tota amica, & nunquam non amica.

Quod pulchrum est, amicum est.

Maximus Tyrius.

Rupert.

Maria semper amica, & semper pulcherrima.

S. Thom. Apostolus.

S

ini.